

ferre presumat, nec eciam aliquid attemtabit de facto vel consilio per se vel per alios occulte vel manifeste, quod in nostrum aut Regni nostri preiudicium cadere possit vel grauamen.

Hanc licenciam vobis, vt premissum est, concessam durare volumus a festo pentecostes nunc proximo, vsque ad sequens festum pentecostes proximo tunc futurum. Datum Anno Domini Millesimo trescentesimo tercio, sexto decimo Kalend. Decembris.

1414.

1304 Odat.

Skeninge.

ARNULF ESKILSSONS Salubref på sin gård i Wreta, hvilken han tillbytt sig af sin hustru, till St. Martini Nunnekloster i Skeninge, mot klostrets gård Hälleby och 120 mark penningar.

A. 3. 6.

Omnibus presentes litteras Inspecturis, ARNNULPHUS ESKILSSON, salutem in domino sempiternam, Tenore presencium nouerint vniuersi me sororibus apud sanctum martinum skyæningie vendidisse curiam meam in wretum Cum agris, pratis, siluis, Colonis, et omnibus eidem curie attinentibus pro curia ipsarum in Hælleby, piscatura, et omnibus alijs ad prefatam curiam spectantibus, additis mihi ex parte dictarum sororum, Centum viginti Marchis monete vsualis, porro curiam in Wretum de vxore mea emi pro predio equipolente, immo maiore alibi sibi assignate, Commutacio autem, et empcio ex parte mea cum sororibus predictis, et vxore mea, facta est, processibus legum terre per omnia obseruatis, Cuius testes sunt, qui presentes fuerunt, silicet dominus prepositus thorchillus de normæløsæ, Waldæmarus de syundæthorph, folkquidus de faldinghia, et alii discreti fidedigni, In huius igitur euidentiam, sigillium venerabilis domini Episcopi lyncopensis vna cum sigillo meo proprio est appensum, Actum Anno domini. M^o, CCC, III^o in ecclesia beati martini skyæningie.

Sigillet, jemte den ur brefvet klippta remsan, borta.

1415.

1304 d. 4 Jan.

Upsala.

MAGISTRATENS i Upsala Intyg, att Nils Hemmingsson inför densamma erkänt sig hafva bortbytt sina gårdar i Wårdsåtra, Gutasund, m. m. till Årkebiskop Nils i Upsala, mot jord i Balingstad och en gård i Lund, samt 50 mark penningar i mellångift.

A. 3. a.

Omnibus presentes litteras inspecturis, ADUOCATUS, et CONSULES Ciuitatis vpsalensis, salutem in domino sempiternam, Constitutus coram nobis, Ni-

colaus hæmingson, recognouit, et confessus est publice, se quandam prediorum permutacionem fecisse, cum venerabilij patre, Domino Nicolao Dei gracia archiepiscopo vpsalensi, suo et ecclesie sue nomine, in hunc modum, videlicet, quod pro curia sua wardhsætrum, Cui subiacent Nouem ore terre cum vno solido, et decem et nouem solidis terre in gutasund, Et brachio piscature in fløtasund, Jtem pro curia sua in hwamum, Cui subiacet Marcha terre solido minus, et vndecim solidis terre in nustatunum, que omnia tradidit, assignauit, et appropriauit Domino archiepiscopo, et ecclesie sue, cum omnibus iuribus et pertinencijs dictis bonis intra, uel extra, prope uel longe sepes positis, absque vlla excepcione dicta affnempning, Recepit ab eodem Domino archiepiscopo Tres Marchas terre in ballinxstum, et Curiam in lundi, in parochia æsæbro, cui subiacent sex. ore. terre, cum omnibus iuribus et attinencijs dictis predijs, intra uel extra, prope uel longe sepes positis, absque qualibet excepcione dicta affnempning, Super predicta autem permutacione, dati, assignati, et recepti fuerunt secundum leges et patrie consuetudinem firmarij wlgariter dicti fastar, Recognouit eciam dictus Nicolaus se recepisse et habuisse ab eodem domino archiepiscopo ad valorem Quinquaginta Marcharum monete nunc currentis, Quas ratione cuiusdam melioracionis sibi dedit, In premissorum autem testimonium, et euidenciam pleniorum sigillum nostre communitatis ad instanciam dicti Nicolai presentibus est appensum, Datum vpsalie anno domini. M°. CCC°. Quarto, In Octaua sanctorum Innocencium.

Sigillet bortfallet, remsan qvar.

1416.

1304 d. 14 Jan.

Linköping.

Tjenstförrättande Lagmannen i Östergötland WALDEMARS Fastebref på 2:ne åttingar i Öraberg, som Domprostén i Linköping Wimund köpt af Kyrkoherden Salmund i Näsby.

A. 6. a.

Omnibus presentes litteras inspecturis. WALDEMARUS uices legiferatus gerens in osgocia. salutem in domino. Tenore presencium constare volo luculenter. quod anno domini. M°. CCC°. IIII°. feria secunda proxima post octauam epiphanie. que dicitur lagdhingsmanadager. lincopie in curia domini episcopi in magna stupa. communicato discretorum et legisperitorum consilio solempni examinacione et diligenti inquisicione prehabitis. legumque patrie tradicionem seruata. duos attungos. in ørabyergh in parochia Rystad. quos dominus Wimundus prepositus lincopensis de domino Salmundo quondam rectore ecclesie de nesby. per legittimam prediorum permutacionem mæd festum oc laga-fangum